

24
1775,32.
Q V A E S T I O
I V R I S C O N T R O V E R S I

A N

I N V T I L I S O M N I N O S I T
R E N V N C I A T I O C O N D I C T I O N I S
I N D E B I T I

Q V A M

I L L V S T R I S I C T O R V M O R D I N I S G R A T I A
P R A E S I D E

D. C H R I S T I A N O H E N R. B R E V N I N G

P R O F E S S. P U B L I C. O R D I N A R. I V R. N A T. E T G E N T.
E T S O C I E T A T. L I T E R A R. D V I S B U R G E N S.

S O C I O

I N A V D I T O R I O I V R I D I C O
D I E V I I I. I V L I I A N N O C I D I C C L X X V.
D E F E N D E T
I O A N N E S C H R I S T O P H O R V S S C H U M A N N
L I P S I E N S I S .

L I P S I A E

E X O F F I C I N A L A N G E N H E M I A.





AN
INVILIS OMNINO SIT
RENVNCIATIO CONDCTIONIS
IN DEBITI

§. I.

Cum, qui *sue* mobilis, *sue* immobilis res sit, *sue* quantitas, quam non debebat, at, vel ex errore, vel facti ignorantia se debere alteri, putabat, soluit vel praefstat, posse id, quod indebite datum, repetere, tristissimi iuri est, Fundamentum autem huius condictionis POMPONIVS in L. 14. π. de condit. indeb. ex aequitate deduxit. Scribit enim: *Nam hoc natura aequum est, neminem cum alterius detimento fieri locupletiorem.* Et PAVLVS in L. 15. pr. eod, affirmat eandem *esse naturalem.* Quapropter merito notam merentur, qui hanc actionem stricti iuris esse adfirmant. Ea enim actio, quae ex aequitate prouenit, vel cuius fundamentum in naturali iure positum, nunquam stricti iuris esse

◆ ◆ ◆

potest, quippe semper aequitas stricto opponitur iuri. Sic MODESTINVS in L. 25. π. de LL. iuris rationi opponit aequitatis benignitatem. Imo clariora sunt PAPINIANI verba in L. 66. π. de Cond. indeb. Haec, inquit, condic̄io ex bono et aequo introduc̄ta. Nec me mouet, quod dicant, non exigi posse usurae hac conditione. Cedo, quod non veniant usurae in hoc iudicium, sed causa non est, quod sit stricti iuris iudicium. Eset forsitan huic argumento aliqua vis, si obiectum huius negotii esset quantitas nummaria. At conditione haec ad quasunque, ut diximus, res accommodata. Sic apud PAVLVM in L. 12. π. de Cond. indeb. usumfructum condici tanquam indebitum videmus. Porro apud POMPONIVM in L. 19. §. 3. π. eod. Pamphilus repetitur hac conditione. Idem POMPONIVS in L. 22. eod. applicat conditionem hanc ad iter condicendum. Et generalem causam exhibet PAPINIANVS in cit. L. 66. quod alterius apud alterum sine causa deprehenditur, reuocare. ALTERIVS generale vocabulum, omne, quod in patrimonio est, denotat. Iam quomodo quaestio usurarum moueri posset, cum usurae sint tantum pecuniae seu sortis accessio. Patet itaque, usurae haud exigunt, quia obiectum in genere quaelibet res est, non solum quantitas, nec quantitatis ratio habetur, quia quantitas est, sed quia ad res refertur.

§. II.

Non sufficit autem indebitum aliquod solutum esse tale videlicet, ad quod soluendum vel plane nulla, vel saltem naturalis non adest obligatio; requiritur maxime; ut illa indebiti solutio ex errore facti seu ignorantia facta sit, quare VLPIANVS in L. 1. §. 1. π. de Cond. indeb. adfirmat, eum qui sciens se non debere soluit, repetere non posse. At? quid si solutio ex errore iuris venerit, an cetera condic̄io. Equidem CONSTANT, et MAXIMIANVS. AA. in L. 10. C. de Iur. et facti ignor.

ignor. supplicanti Araphiae cuidam rescriptsere: *Cum quis ius ignorans indebitam pecuniam soluerit: cessat repetitio. Per ignorantiam enim facti tantum repetitionem indebiti soluti competere tibi notum est.* At non obstante hoc rescripto respicendum est ad personas errantes. Cum enim leges nonnullis hoc dederunt beneficium, ut ignorare ius licitum sit, non est dubium, quin eae personae, quamvis iuris errorem commiserint, tamen admittantur ad condicioneum. Et cum quilibet praesumitur scire iura, cum cuiusvis ciuiis et subditis communis sit obligatio, sibi leges, ad quas suas actiones normare debet, cognitas reddere, semper error facti praesumendus, donec alter probet, alterum errasse in iure, quae vero exceptio pondus habitura non est, si errans ab ipsa lege contra iuris ignorantiam defendatur. Nec soluentis sufficit error, quippe in accipiente error esse debet, accipiens enim, qui seit, nihil alterum debere, accipiendo efficit, ut furtiva condicione conueniatur, quae grauior est indebita condicione.

§. III.

Non vero solum ad hanc condicioneum producendam error in indebito requiritur, sed potest quoque ea actio de vero debito tanquam indebito institui, siquidem error non ipsum debitum afficit, sed personae solutio facta, cui nihil debebatur. Fac me Trito debere CC. folio hoc debitum Caio, quem errans creditorem meum habueram. An repetitioni locus sit, quippe solui, quod debebam, et sic proprius indebitum dici nequeat. Sed salua res est; quamquam enim debitum sit, respectu Titii, non aequum debitum est, si ad Caium respicias, et ratione huius omnino indebitum habendum, quod repeti potest. Plura non addo de hac condicione, quippe Io STRAVCH. GRIEBNERVS et maxime Iulius PACIVS de hac condicione ex professo egere.

A 3

§. IV.

§. IV.

Iam his praemissis ad causam dubiam nostram proposcam. Malitia hominum, qua saepissimae factum, ut lis alteri mota sit, vbi plane nulla agendi causa iusta adesset, causam dedit, vt *évrénata* inuenta sint, quo sibi prospiciunt, ne ab aduersario circumueniantur, vel deficiente iure conueniantur ex fraude. Quapropter in conventionibus non inutiliter semper variae renunciationes adhibitae, quae eam habent rationem, vt per illas renunciationes alteri caueatur, ne postea, si agat, quod suam non adimpleat obligationem debitor, exceptionibus vexari possit, et ex his renunciationibus replicam auctor impetrat, qua reum excipientem repellat. Hinc et interdum fieri potuit, vt is, cui ab alio soluebatur, a debitore soluente exigeret renunciationem conditionis indebiti, idque ea intentione, ne postea, si facta solutione debitor in eam incideret forsan adeo erroneam opinionem, se nihil debuisse, conditione indebiti vexare posset accipientem creditorem. Quaeri ergo potest: an huius renunciationis aliquis possit esse usus. Videamus quid sentendum,

§. V.

Negant fere omnes conditioni huic indebiti neque expresse neque per aequipollentia verba renunciari posse, eamque in sententiam MENCKENIVS in *Theor. et Praxi π. h. t.* §. 13. varias adducit leges, quarum argumento hanc probare intendit. Imo causam adfert, quae vtique hanc opinionem defendit, et quae in rei veritate posita. Sicuti enim is, qui hanc conditionem instituturus est, necessario debet soluisse ex errore, imo et error in accipiente adfuerit necesse est; ita renuncians a parte sua, se debitorem reputans, pari errore inductus, renunciauit, et creditor se debitum iuste accipere credens, pari errore renunciationem accipit. Qua propter

* * *

pter cum et in solutione non minus ac in renunciatione ab
vtraque parte error causam continet, recte consequuntur,
hanc renunciationem omni modo inutilem fore, et si postea
apparet indebita solutum quid esse, non obstante renuncia-
tione locum esse indebiti conditioni.

7

§. VI.

Haec quidem omnia recte se habent; at s̄TRYCKIVS ad
Lauterbachium h. t. v. renunciationem in eam abit sententiam,
vt credat, renunciatione iurata cessare conditionem. Quis
non videt, hanc opinionem superstructam esse nimiae su-
perstitioni iurisiurandi. Quamuis quidem sancte custodiendam
censem conscientiam a periurio committendo, ne diuinam
Maiestatem laedat, cui iurantes religionem exhibemus; tamen
nec maiores effectus tribuendi iuriurando, quam qui religio-
ni conueniunt, nunquam autem religio vera patitur, vt al-
ter eius praetextu suo laedatur perfecto iure. Quapro-
pter arbitror, nec iuratae renunciationi id tribuendum esse, vt
conditionem indebiti amittat iurato renuncians, nam et
error causam dat iuri iurando, qui putat se vere debere, et
probabile non est ob id, quod iurauerat, se iuri suo perfe-
cto renunciare voluisse, si scierit, se non debere, hoc est, ob
iurisiurandi religionem liberalem alterum non praesumendum.

§. VII.

Ad quid? Si quis indebiti conditioni ita renunciauerit,
videlicet, vt, si postea apparet, indebita solutum quid esse,
velle se, donationis titulo creditor ex errore solutum retineat.
An et haec renuncatio non excludat conditionem recte, qua-
eri potest. Et verior videtur opinio, omnino renunciatione in
hunc modum facta, cessare postea, si manifestum fiat, quid in-
debita solutum esse, ipsam iudebiti conditionem. Cum enim

ex



❖ ❖ ❖

ex posteriori verborum declaratione aperte animus soluentis liberalis appareat, mutatur voluntate renunciantis indebiti solutio in liberalitatem seu donationem, quae legibus contraria per se non est, donatio vero nullam admittit reuocationem ex capite indebiti, hinc necesse est, ut amplius locus non sit indebiti condicione. Consentit BERGERVS in *Oeon. Iur. L. III. Tit. VI. Th. VII. n. 7.* scribens, *nisi de animo donandi liquido constet.* Sed id saltem videtur monendum, ne illa liberalitas legibus contraria sit. Quapropter, si quis summan M. solidorum indebite soluat, addita renunciatione indebiti condicione sub declaratione intentionis donantis, si indebitum manifestetur postea, ni iudicialiter illa renunciatio confirmetur, vix est, ut ultra D. Solidos effectum habeat, quin quae excedunt hanc summam, donata haud videntur, et omnino repeti possunt condicione, quia liberalitas modum a legibus praescriptum exceedere non debet.



(leipzig) Diss., 1775 A(1)



Sb

KD18

B.I.G.



24
1775, 32.
Q V A E S T I O
IVRIS C O N T R O V E R S I
A N
I N V T I L I S O M N I N O S I T
R E N V N C I A T I O C O N D I C T I O N I S
I N D E B I T I
Q V A M
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
P R A E S I D E
D. CHRISTIANO HENR. BREVNING
PROFESS. PVBLIC. ORDINAR. IVR. NAT. ET GENT.
ET SOCIETAT. LITERAR. DVISBURGENS.
S O C I O
I N A V D I T O R I O I V R I D I C O
DIE VIII. IVLII ANNO C I C C C L X X V .
D E F E N D E T
IOANNES CHRISTOPHORVS SCHVMANN
LIPSIENSIS.

L I P S I A E
E X O F F I C I N A L A N G E N H E M I A .

